



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

21. Perseverantia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

in distractionibus & obscuritatibus; in scrupulis & tentationibus dæmonis. Ut impleam illud Jobi : *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum!* Et illud Apostoli : *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Iacobi c. 1. 2.*

*Aspirationes.*

I. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ad Gal. 6. 14.*

II. *O quàm multas & graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia sunt secuti. Thom. Kemp. L. 1. c. 18.*

III. *Domine, hic patientiam, postea indulgentiam! S. Laurent. Justin. In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Lucæ c. 21. 19.*

P A S S U S XXI.

Perseverantia.

T E X T U S.

*Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Matth. c. 10. 13.*

*Cogni-*

## Cognitio.

**P**erseverantia est virtus, quâ in bonis operibus ad finem usque persistimus; & molestiam ex rei laboriosâ diuturnitate proveniente superamus. I. *Alvarez.*

## Actus :

1. Laborem virtutis, ex temporis diuturnitate proveniente tolerare ac vincere.
2. Non obstante eo labore, virtutis opera continuare; & in eo, quod semel cœptum est, stabiliter permanere.
3. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis, à rectitudine deflectere.

## Consideratio.

Præteritis aliis SS. Patrum testimoniis, Augustini duntaxat & Bernardi sententias expende, atque in amore perseverantiæ solidaberis. I. S. Augustinus præclarum hoc illi tribuit elogium : *Perseverantia informat meritum, colorat boni propositam, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit conductos ad portum.* II. Pergit idem Sanctus : *Hæc laureantur Martyres, coronantur Virgines, Sacerdotes sublimantur & Confessores.* Hæc  
 G est

est vestis sine ruga, tunica sine macula, bonitas sine malitia. Ad Fratres de Eremita. 8. III. Nec minus Doctor mellifluus, encomia multa, paucis complectitur: Proxime, inquit, absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Illa est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad primum. Soror est patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum modus, unanimiatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. O utinam illa nos coronaret! Utinam ad æternitatis felicitatis portum nos perduceret!

*Petitio.*

Salvator mundi dilectissime, qui opus redemptionis nostræ cœptum, tanto labore & constantiâ perfecisti, dicens: *Opus consummavi, quod dedisti mihi.* Joan. 17. Per vulnera tua sacrosancta obtestor Te, da mihi, meisque in bono usque ad supremum anhelitum perseverare; & sic currere, ut bravium comprehendamus: quid enim juvat Te sequi, si non contingat assequi?

*Aspirationes.*

I. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. c. i. 10.

II. *Reple me, Domine, tuis sanctis virtutibus,*

ribus, & fac me bonis pollere moribus; fac me  
in sanctis operibus tuis, propter nomen sanctum  
tuum, perseverare usque in finem, secundum  
voluntatem tuam. S. Aug. med. c. 12.

III. Vbi est fides tua? Sta firmiter & per-  
severanter. Esto longanimis & vir fortis,  
& veniet tibi consolatio in tempore. Thom.  
Kemp. L. 3. c. 31.

NB. Huc pertinet Virtus constantiæ,  
quæ in eo differt à perseverantia, quòd dif-  
ficultates aliunde, quàm à diuturnitate pro-  
venientes, superet.

## P A S S U S XXII.

### Temperantia.

#### TEXTUS.

*Omnia disposuit in mensura,  
numero & pondere. Sap. c. 11.*

#### Cognitio.

**T**emperantia est virtus moralis, cujus  
præsidio, passiones appetitûs concupi-  
scibilis frœnamus, & reprimimus, quæ  
circa delectabilia sensuum, præcipuè gustûs  
& tactûs versantur. Ad quorum duorum